XXXI

DISPUTATIO JURIDICA.

DE FORO COMPETENTE.

Quam

Auspicio & Auxilio S.S. Triados,

Permissu & consensu Magnifici JCtorum ordinis in florentissima JENENSI ACADEMIA;

SUB

PRÆSIDIO

Magnifici, Amplissimi, & Consultissimi Viri

Dn. ORTOLPHI FOMANNI

JCti Celeberrimi & in Academia Jenensi Decretalium Profess. Publ. Collegij Juridici Ordinarij, nec non ibid. Curiæ Provincialis & scabinatus Assessoris dignissimi, Fautoris & Præceptoris sui æternum honorandi.

Publici exercitij gratia ventilandam proponit.

IOHANNES Cappelln Lubecens.

Ad diem 8. Julij.

In Auditorio JCtorum.

JENÆ

Prælo JOHANNIS VVEIDNERI.

ANNO M. DC. XX.

DE
FORO COMPETENTE,
SEU UBI QUIS AGERE ET CONVENIRI DEBEAT.

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI *ad omnia consilia actusq; semper progredimur.*

THESIS I.

CUm maximè intersit, tam à parte auctoris, quàm judicis nosse, ubi quis agere & conveniri debeat: ab hujus, ne sumptibus nil profecturis semetipsum exinaniat: ab illius ne dum de omnibus causis cognoscat, non habita personarum, locorum causarum distantia, ex hoc Jurisdictionum confusio resultet, & dicisiones quasi decidendo oriantur, contra quam utilitas reipub. exposcit. Ideò & operæ & laboris pretium esse putavi, hanc fori competentis materiam addiscendi causa publicæ disquisitioni subjicere.

II.

Forum à Ferendo deducunt, ideò, quod uti merces negotiatorum ut alienētur, sic etiam cōtroversiæ ut dirimantur, eum in locum deferuntur. Ut ita nihil aliud sit forum, quàm locus publicus in quo magistratus jus dicit. Quod forum ibi consequitur actor, ubi reus respondere compellitur, *l.2. 5. C.de Jurisdict.omn.l.3. C. Ubi caus. stat.l.fin.C.Ubi rem act.*

III.

Cum verò, ut confusio mater ignorantiæ, sic distinctio & ordo sit scientiæ, ideò distributio proponenda est. Divido itaque forum in Commune & Privilegiatum.

IV.

Commune, quoties quis communi jure forum fortitur, idque fit quatuor potissimum ex causis: Domicilio, Contractu, Delicto, & Re.

V.

Domicilium triplex: Naturale, vel originis, Accidentale, & Commune; Illud tàm ex propria quàm parentis persona naturaliter venit. *l. cives. C. de Incol.* Istud ex assumptione comparatur, & vocatur domicilium habitationis, ac in colas facit. *l. domicilium, Ad Municipal.* Hoc verò domicilium imperii vocatur, quod qui habet subditus imperii dicitur, & legibus atque constitutionibus Imperial. subjicitur. *l. Roma ff. ad Municipal. Gail. 2. obs. 36. n. 2. & seq.*

VI.

Etsi autem domicilium originis de jure communi sit immutabile, *l. pen. ff. ad Municipal. l. 6. eod.* de communi tamen Germaniæ consuetudine etiam in præjudicium munerum personalium, licet civitatem civitate mutare, modò non fiat frauduléter. *Aur. Bull. cap. 16.* Reichs Abschied/ *de anno* 1555. §. Wo aber unser auch der Churfürsten &c. Quæ tamen mutatio sæpè fit cum onere, secundum consuetudinem cujusque loci, ut nimirum pro migratione solvatur debita Magistratui pecunia, quæ vocatur die Nachstewer oder Ablösung/ *d. §.* Wo aber unsere/ R. J. *Anno* 1594. §. und so viel die ungleiche. Amplius hic potest disceptari; An civitas aliqua protectioni alterius, quàm ordinarii possit se subjicere? quod nego regulariter, *Aur. Bull. cap. 15.* in verb. untern Schein/ Schutz und Schirms/ &c. R. A. *de anno* 1529. §. Wir auch Churfürsten &c. *& anno* 1555. §. Es soll auch kein Standt/ *l. 2. C. Ut nemo rust. suum in patron. Novell. 17. c. 13. & 14. Buxtorff. ad Aur. Bull. c. 16. th. 99 lit. f. Thom. Michael de Jurisd. conclus.* 138.

VII.

Si quis pluribus in locis domicilium habitationis habet, *l. 5. l. 6. §. 2. l. 27. §. 2. Ad Municip.* is in uno conventus ad alterum revocare non potest *l. 19. §. 2. ff. de Judic. l. 2. §. 3. ff. quod cert. loc.*

VIII. In

VIII.

In loco domicilij reus tàm in civilibus, sive in rem, sive in personam sit directa actio, quàm criminalibus conveniri potest *l.fin.C.Ubi in rem l.5. in pr. C. de Jurisd. l2. C. Ubi & ap. quem cognit.in integr. restit.l.19 §, f.ff. de Judic. Gail.1. obs.11. Treutler. vol.1.disp.3.th.8.lit.d.& Bachovius ad hunc loc.*

IX.

A prædictis excipiuntur quædam personæ, in quibus conveniendis, nō ipsarum, sed aliarum spectamus domicilium, ut libertus & ejus filij conveniuntur coram domicilij patroni judice *l.22.ff. ad Municipal.* Uxor & vidua coram domicilij maritalis *d.l.22.§.1.l.pen. in pr.ff.de Jurisd.* Servus coram domini sui judice *l.1. C. Ubi consi.stat.* Quod etiam in hærede obtinet, ut ibi conveniatur & defendatur, ubi defunctus debuit conveniri, adeò ut nullo suo privilegio, sive nulla fori præscriptione illud forum declinare possit. *l.19. in pr.ff.de Judic.*

X.

Denique & illi, qui ex familiâ sive Clerici sive Laici sint, domicilium & forum ex persona patris familias consequuntur, *arg.l.2.3.4.ff.de Usu & Habit.l.11.ff.de V.O.Magnif.Dn.Præses,in disp.de Jur.& privileg.Studios.th.94.*

XI.

2. Ex Contractu: Quo enim loco quis contraxit, ibi & conveniri debet. Estq; locus contractus ubi quid dari promissum est, seu in quo solutionem fieri convenit, licet contractus alibi fuerit celebratus, *l.21.ff.de obl.& Act.& l.19.§.ult.ff. de Judic. l.3.ff. de reb. aut.jud. poss.* Quod si nihil exprssè de eo fuerit actum, ubi res gesta est, locus contractus intelligitur, *d.l.19.pr.§.1.& seq.* 2. Ex Contr.

XII.

Si verò uno in loco sit contractum, in altero confectum instrmentum, maximè est inspiciendum, an voluerint partes, ut contractus in scriptis fieret, annon: Illo in casu negotium nondum planè est cōclusum sed adhuc in terminis tractationis sub-

 sistit,

sistit, ut proinde in loco cõfecti instrumenti debeat institui cõventio, *Arg. pr. inst. de Emp. Vend. & arg. eorum quæ disputantur à Bachovio in Tr. disp. 28. th. 8. lit. b. vol. 1.* Altero casu non, quia hic confectio instrumenti est tanquam accessorium *l. 65. ff. de Judic. l. 38. ff. de Obl. & Act. & Bach. all. loc.*

XIII.

In loco tamen contractus quædam personæ conveniri nequeunt, ut mercator advena, vel viator, si mox discessurus in ipsa peregrinatione contraxit, *d. l. 19. §. 2. ff. de Judic.* Quod verum est, si ejus fidem secutus sit creditor: secus si creditor ei fidem non habuerit, sed voluerit ut fieret solutio. *l. 25. 39. §. 1. ff. de Judic.* & potest hoc casu qui contraxit cum advenâ adversus recedentem arrestum impetrare donec satisfiat, vel fidem det de solvendo. *Clariß. Dn. Præcept. Matthias Step. de Jurisd. lib. 1. c. 29. n. 23. 24.*

XIIII.

In Nundinis majoribus, ut Francofurtensibus & Lipsiensibus, quæ instar privilegij, mercatuum exercendorum causâ ab Imp. civitatibus conceduntur *l. 1. ff. de Nund. l. unic. C. eod.* nemo sub privati debiti prætextu, præcludi seu arrestari potest. d. l. unic. *Unde part. 1. Constit. Elect. 30.* Wir wollen aber sonderlich das in allen Fellen / innerhalb der öffentlichen Marckte der Handel vnd Werbung halben die Freyheit gehalten / kein arrest Stadt haben / auch bürgerlichen Sachen vnd Obligation wegen niemand angehalten werden soll.

XV.

Prędicta non spectant ad nundinas vulgares, sive hebdomadarias, quæ vocamus Wochen Marckt Ejusmodi enim possunt institui sine ullo privilegio vel principis licentia. *Cluten. in Syll. rer. quotid. th. 22. lit. E.*

XVI.

De contractibus tamen quæ in ipsis nundinis majoribus fiunt, nulla causa est, quare non actio & exceptio detur, cum con-

contrahendo quisque sortiatur forum eo loci quo contraxit, *l.19.§.1.ff.de Judic.Wesenb.in Parat.de Nund.*

XVII.

Si debitor malitiosè sese occultans in loco contractus non invenitur, potest creditor petere à judice loci contractus, ut sibi decernat bonorum possessionem: si vero debitor ibi bona nō habeat, judicem sub quo bona illius sita sunt (ordinarium enim oportet esse eum, ut jus mittendi habeat, quod ille solus habere videtur, cujus in territorio bona sita sunt *l.12. pen.ff.de reb.aut.jud.poss.*) requirat creditor ad mittendum in bona, *arg l.7.§.4.& seq.ff.ex quib.caus.in poss.c.1.§.contrahentes, de For.compet.in 6.Wesenb.in Parat.ff.d.l.num.5.* Cum iis casibus quibus contractus forum tribuit, remissionis facultas & necessitas non constituatur, *Nov.69.cap.1.Treutl.disp.3.th.9.vol.1.* Nisi maximum interesse versetur, uti in negotiorum gestore, qui ibi conveniendus de raciocinijs reddendis, ubi negotia gessit, *l.1.2.C.Ubi de racion.Wesenb.ad h.tit.C.* Quod accipendum respectu eorum negotiorum, quæ vel Principaliter ad magistratum ejus loci pertinent, qualia sunt ratiocinia præstanda propter administrationem rerum ad rempub. pertinentium, vel quæ in consequentiam magistratum respiciunt, ut sunt ratiocinia quæ propter administrationem tutelæ vel curæ exiguntur: Cum maxima habenda magistratui cura in exigendis à tutoribus rerum distractarum rationibus, ne ipsemet postea in subsidium conveniatur. *tot.tit.ff.& C.de Magistr.conven.& eor. har.§.2. Inst.de satisd.tut.& cur.Bacch.in Treutl.vol.2.disp.9.thes.7.lit.C.*

XVIII.

Jus obstagiorum die Leistung/ sive obligationes personarum ad certum locum, valent de Jure Can. & Civ. *leg.3.§.3.ff.de lib.hom.exhib.c.ex rescripto 9.X.de Jurejur.* Quæ obligationes licet etiam constitutionibus Imperii prius fuerint permissæ, uti videre est in constitut. *Anno* 1548. promulgata *sub tit.* von wucherlichen contracten *§.final.& anno* 157 7. *tit.* 17. *§. fin.* tamen postea abrogatæ sunt *Anno* 1577. *d.tit.* 17. *§.* Wiewol euch &c. Cum interdum fiat ut novercantis fortunæ injuriâ

præ

præpediantur debitores, quo minus possint statuto tempore debitum exsolvere. Unde æquius & humanitati magis consentaneum visum fuit, ne emanentes, statim publicè affixis ubique picturis (uti aliàs fiebat) diffamarentur, sed potius per legitimos tramites compellerentur. Quod inter alia indigitare videtur *Gail. de pc. publ. lib. 1. c. 2. n. 6.* dum dicit, propter Abusum *& 2. obs. 65. num. 6. & c. d. constit. Imper.* §. wiewol auch.

XIX.

Qui certo loco dare promisit, si ibi non reperitur, *l. un. C. Ubi cono. qui cert. loc.* etiam alibi conveniri potest, licet non ea actione, quæ in loco contractus adhiberetur, sed actione utili, *l. 1. ff. quod cert. loc. d. l. un. Treutl. vol. 1. disp. 23. th. 3.* Quia iniquum est, si promissor vel data opera, vel alibi necessariò districtus, eum locum, in quem daturum se promisit, non accedit, non posse stipulatorem alibi agere, atque ita facto debitoris eludi obligationem, non data potestate alibi conveniendi *l. continuus 137. §. illud ff. de V. O. Wesenb. ad tit. ff. de eo quod cert. loc. ex l. 1. d. t.*

XX.

Qui copulativè pluribus in locis dare promisit debitum proportionaliter in locis expressis, & pro rata portione convenietur. *l. 2. §. 4. ff. quod cert. loc.* Sin disjunctivè, in quolibet eorum agi potest in solidum, ita tamen ne utilitas reo adimatur in alternativa solvẽdi, *d. l. 2. §. 2.* quamvis secus sit in alternativa exigendi *l. Lucio 23. ff. de legat. 2.* Si certis non expressis locis, ubiq; locorum se soluturúm promiserit, in omnibus ubicunq; deprehensus fuerit, forum sortitur, *per l. Lucius 24. ff. depos. Gail. 2. observ. 36. n. fin.* Ad majorem cantelam potest sibi prospicere creditor, ne instrumento promittat debitor, se soluturum pecuniam, ubicunque fuerit in ventus, non attento loco contractus *Gail. dict. loc. in fin.*

XXI.

3. Ex Delicto.

3. Ex Delicto: Delinquentes præter locum domicilij, & delicti commissi in quolibet etiam loco, in quo reperiuntur, conveniri possunt *l. 1. & tot. tit. C. ubi de crim. agi oport.*

Si

si verò desideret eos magistratus loci ubi admissum est delictum, ad hunc ipsum judicem remitti debent Jure civili. *Novell. 134. c. 5. Treutl. disp. 3. th. 8. lit. f.*

XXII.

Verum ejusmodi remissiones, quæ olim necessariò fiebant, hodiè & maximè in diversorum dominorum ditionibus vel provinciis non observantur, *Köppen decis. 43. n. 19.* Et inter status Rom. Imperij ita servatur, quod principes & civitates quandoque ultrò & sponte sua, aliis principibus & civitatibus remitti reum petentibus gratificari soleant ex urbanitate, non etiam ex necessitate, & quidem jure amicitiæ & vicinitatis atq; benevolentiæ, si prius sub antigrapho, sive literis reversalibus caverint, quod hujusmodi remissio jurisdictioni vel superioritati non sit futura nocumento, sed sine præjudicio (auff ein Revers oder Gegenbekäntnüß) quod illi quibus remissio fit, in simili casu idem facturi sint, *Gail. 1. de pac. publ. cap. 16. num. 30. & seqq.*

XXIII.

Incidit hic illa quæstio: Utrinam cognitio de homicidio in confinio tuorum territoriorum admisso competat? ad utrumque confinem eam pertinere tuebimur cum *Treutl. disp. 19 thes. 4. vol. 1. & Bacch. ad h. loc.* ibi enim de crimine agi oportet, ubi illud perpetratum est *l. 1. & Auth. qua in provincia. C. ubi de crim. agi oport.* Quoad casum dubium cognitio ei tribuitur, in cujus territorio pedes occisi inventi fuerint. *Niell. disp. feud. ult. coroll. 2.* Quod si occisus in alterius territorium protrahatur, aut in flumen publicum projiciatur, ejus erit de cæde cognoscere, in cujus territorio facta fuit, *arg. d. l. 1. & d. Auth. C. d. l. Treutl. dict. loc.*

XXIIII.

Cum itaque is qui deliquit conveniri possit, ubi deprehenditur, non immeritò quæri posset, an si quis non deliquerit, sed ex alia quacunque causa obligatus fuerit, ubi commoratur conveniri posse? nego: Nam coram judice suo ordinario conveniri debet, *l. 1. [illegible] ubi caus. stat. [illegible] C. [illegible] de Curial.*

Quod in tantum verum puto, ut ne quidem debitor alterius territorium transiens prohiberi possit, ne inde cum rebus suis decedat, antequam solverit, nisi actori ab ordinario rei transeuntis judice denegata fuerit justitia, aut is de fuga suspectus sit. *Constitut. imperij Spiræ edita Anno* 1570. §. **wenn auch die Arrest** / *Gadd. ad rub. Extr. de sequest. poss. & fruct. n.* 22.

XXV.

Multo minus alieni debiti causa alicui peregrino manus injicere licet. Regulariter enim ejusmodi oppignorationes, quas repressalias vocant, sunt prohibitæ de jure, *l. un. C. Ut nullus ex vican. pro all. vic. deb. Nov.* 52. *d.* §. **wenn auch die Arrest** / *Magnif. Dn. Præses in prælect. publ. Auth. sed omninò C. Ne uxor pro marit. Gail. de pignor. c.* 2. *Treutl. disp.* 1. *vol.* 1. *thes.* 5. *lit. g. Bacchovius ad h. loc.*

XXVI.

4. Re. 4. Re. Nam ubi res sita est, ibi quoque vindicatur, *l. ult. C. Ubi in rem. l. un. C. Ubi de her.* omni discrimine inter rem mobilem & immobilem, corporalem & incorporalem §. 2. *Instit de Act.* singularem & universalem rejecto *l.* 29. §. *fin. ff. de Inoff. test.*

XXVII.

Nihilominus tamen hæc in rem actio, sive de proprietate sive de possessione agatur, ibi exerceri potest, ubi res non est, in foro domicilij ipsius possessoris, sive rei conventi, *d. l. ult. C. Ubi in rem. l.* 10. 11. 12. *ff. de rei vind. Wesenb. ad d. tit. C. ubi in rem. Treutl. d. disp.* 3. *vol.* 1. *th.* 8. *lit. g. Bacch. ibidem.*

XXVIII.

Si igitur alius sit locus domicilij, alius rei sitæ, in arbitrium actoris confertur in utro loco experiri malit, ut conventus in uno ad alterum revocandi non habeat potestatem *l.* 7. *ff. de Judic. Wesenb. ad d. tit. C. ubi in rem. act.* & ita retinetur causa in judicio semel cœpto.

XXIX.

Actiones quoq; mixtæ, quæ partim in rem sunt, partim in personam, possunt intentari, tum in loco domicilij, ubi reus degit,

degit, tum in loco ubi res est, ut hæreditatis petitio *l.7.C.de pet.her.l. si suspecta 29. §. ult. ff. de Inoff.test. Wesenb. ad tit. C. Ubi de hær.ag. Gothof. disp.feud.10.thes. 2. lit. C.*

XXX.

Idem statuo de Actionibus in rem scriptis, uti est actio quod metus causa *l.9.§.ult.ff.quod met. caus.* Quæ licet ratione originis, cum ex delicto nascatur sit personalis, tamen etiam rectè adversus illum intenditur, qui rei per vim ablatæ inhæret, *l.metum 9§.fin.ff.quod met.caus.* Cum non quæratur, utrum is qui convenitur, an alius metum fecerit: sufficit enim docere, metum sibi esse illatum, & ex hac re eum, cum quo agitur, etsi crimine careat lucrum percepisse, *l.14.§.3.ff.dict.tit.l.16.ff.Eod. l.134.ff. de R. J.* Qua ratione etiam hæc actio in rem scripta dicitur, *l.9. §.fin.ff.quod met.caus. Wesenb. in Parat. ff. dict. tit. n.4. Treutler. vol.1. disp.11. thes.5. lit. a. Bacch. ad istum loc. Vide apud Treutl. plures Dd. quos hic odiosa repetitione adducere supersedeo.*

XXXI.

Nemo ejusdem rei & causæ nomine sub diversis judicibus litigare cogitur, ne continentia causæ dividatur, & ut tempori atque sumptibus parcatur. E. G. si plures sint consortes litis, quorum unus tantum immediatè, reliqui verò mediatè Imperio subjecti sint, omnes in Camera forum in prima instantia sortiuntur, propter prædictam rationem, *Gail.1.obs.32.* Ita etiam judicium possessorium & petitorium coram eodem debent finiri judice *l.10. C.de Judic. Gail.d.loc.* Maximè verò attendendum, an habeant tales causæ communem liquidationis rationem & qualitatem, propter quam una sine altera planè cognosci & definiri non possit, *Gail.all.loc.*

XXXII.

Porrò reus actorem reconveniens coram judice actoris causam peragere tenetur, cum aliàs non obstrictus fuisset se subjicere hujus jurisdictioni *l. 22. ff. de Judic.* Reconventio autem instituenda est ante litis contestationem, vel post in continenti, quo utraque causa eodem processu absolvatur, *c. 2. Extr. de mut.petit. Nov.96. c.2. d.l.22.ff.d.t.* Aliàs enim injuria fieret

actori, si postquam ille jam sententiam sperat, usque dum ad eundem terminum causa reconventionis deducatur, exspectare cogatur, *Treutl. disp. 25. thes. 13. lit. c. vol. 1. Bacch. ibid.* Quae etiam tàm coram judice delegato, quàm prorogato locum habet, cum jurisdictio delegati fundetur vel prorogetur necessitate legis, quâ actor quem in reo judicem approbat, etiam contra se approbare teneatur. Non minus in prorogato litigantium voluntas, legis necessitas, publica utilitas, & mutuarum petitionum connexitas, consideratur *Treutl. all. loc. lit. e. & Bacch. ibid. Consultiss. Dn. D. Mulpfort, Praecept. observ. in tract. de Reconv. th. 19.*

XXXIII.

Privilegiat. forum. Forum Privilegiatum dicitur vel ratione Personarum, quae coram certo judice conveniendae, vel causarum, de quibus apud certum judicem agendum.

XXXIV.

Personarum in Imperio Rom. Germanico sunt tres Ordines. In 1. sunt Electores, principes & principali dignitate praediti, qui gaudent privilegio primarum instantiarum, der Außtrag/ à quocunque etiam conveniantur. *Ord. Cam. p. 2. tit. 1. & tit. 5. in fin.*

XXXV.

Ast propter certas quasdam causas etiam in prima instantia in Camera conveniri possunt, ut, Fractae pacis, *Ord. Cam. p. 2. tit. 9. §. 2.* So jemands hohen &c. Religionis Reichs Abschied zu Außpurg *Anno* 1555. §. wir befehlen/ pignorationis, Arrestorum *Ord. Cam. p. 2. tit. 22. Gail. obs. 1.* Litigiosae possessionis, *Ord. Cam. p. 2. tit. 21. Gail. de obs. n. 14.* & similes, quando nimirum res de qua controvertitur, non in jure actionis, sed mero judicis officio consistit. *Thom. Michael de Jurisd. th. 37.*

XXXVI.

In secundo sunt, Comites, Barones, Nobiles, qui quaevè immediatè imperio subjectae in Camera conveniri debent. *Ord. Cam. p. 2. tit. 27. Gail. 1. obs. 1. n. 20.* Quod tamen non procedit in illis civitatibus Imperij, quae ex privilegio vel longissimi temporis

parit præscriptione singulares judices besondern Außtrag/ habent, ut Noriberga, Wormatia, Argentina, Memminga, *Gail. d. l. Daniel Otto de Jure publ. p. (mihi)* 446.

XXXVII.

In tertio sunt personæ Mediatè imperio subjectæ, ut Legati, qui quamdiu in aliquo loco legationis causa commorantur, non rectè de ante celebrato contractu conveniuntur, nisi demum perfectâ legatione ibi subsistant, *l. 2. §. 4. de Judic.* De injuria etiam & damno sibi illato possunt agere nulla admissa reconventione, *d. l. 2. §. 5.* Alioquin aut contumelijs aut damnis impunè afficerentur, aut erit in potestate cujusq; pulsando eos, subjicere Jurisdictioni, *d. §. in fin.*

XXXVIII.

Ex delictis verò in legatione commissis coguntur judicium pati sive ipsi deliquerint, sive servi ipsorum *l. 24. §. 1. ff. de Judic.* Non etiam ex delictis ante legationem commissis, *arg. à contr. sensu ex d. l. 24. §. 1. ff. d. t.* Sed expressior textus *in l. 12. in pr. ff. de Accus. Latè de materia Legatorum Joan. Georg. Becchtius in Tract. de secur. & salvo cond. class. 2. thes. 173. manum igitur de tabula.*

XXXIX.

Studiosus etiam coram judice suo ordinario conveniri debet, in tantum ut ipse si velit huic suo privilegio renunciare non possit, *Auth. habita. C. Ne filius pro patre. Treutl. vol. 1. d. disput. 3. th. 10. lit. a. Consultiss. Dn. D. Mulpfort. in d. tract. de Reconv. th. 15.* Vasallus verò vel dominus feudi cœtui studiosorum annumeratus, de causa feudali, non conveniendus coram rectore Academiæ, vel Episcopo loci, sed coram paribus Curiæ, *Gothof. disp. feud. 14. th. 2. lit. a.*

XL.

Milites forum sortiuntur competens apud judices militares, uti militum magistros *l. 1. & l. ult. C. de offic. mil. jud.* Si verò pro functionibus debitisque publicis in judicium vocentur, vel privatis actionibus, puta negotiationibus occupentur, coram ordinario loci sunt conveniendi, *l. un. C. in quib. caus. milit.*

Non etiam merentur privilegia militiæ, qui non hac, sed aliis communis vitæ negotijs exercentur, §. 1. *Inst. de milit. test. Wes. in parat. ff. de milit. test. & C. ad tit. In quib. caus. milit. arg. etiam eorum quæ disputantur à Bacchovio ad Tr. vol. 2. disp. 10. th. 6. lit. b.*

XLI.

Miserabiles personæ, ut sunt pupilli, viduæ, & aliæ, rescripto Imp. indultum habent privilegium, ut si fortè adversariorum pertimescant potentiam, è provincia in qua sunt, eos ad consistorium principis trahere possint: Ipsæ verò ne sumptibus onerentur, invitæ eò pertrahi nequeunt, *l. un. C. Quand. inter pupill. Treutl. vol. 1. d. disp. 3. th. 10. lit. a b.*

XLII.

Praxis verò & usus hujus privilegij hodiè in Imperio Rom. quòad Imperatorem respectu imperij Romani nullus est. Rectè igitur monuit *Gail. 1. obs. 1. n. 40.* hoc in Camera non servari, quia ipsimet principes, & status imperij in causis viduarum & pupillorum cognoscant, & ideò omisso medio judice viduis & pupillis non decerni processus in Camera, nimirum in prima instantia, nisi in casu denegatæ & protractæ justitiæ, *Gail. d. loc. Gothofr. disp. feud. 14. thes. 1. lit. d. vult. de feud. lib. 2. cap. 2. nu. 22. in fin.*

XLIII.

Quin etiam Imperator ut maximè velit causam aliquam extra senatus sive provinciæ territorium ad se evocare non potest, *Boxtorff. ad ff. B. th. 83. lit. e. th. 61. lit. b. & seq.* quia status imperij ut domini ipsi provinciis & territoriis suis præsunt: pari modo nec ullam pendentem causam ex Camera spirensi, quæ tamen ipsius est judicium, avocare potest, *per text. in Ord. Cam. p. 2. tit. 35. Boxtorff. d. th. 61.* Cum Imp. per modum contractus jurisdictionem in Cameram transtulerit, *Bacc. in Tr. vol. 1. d. disp. 3. th. 6. lit. f. Thom. Mich. de Jurisd. th. 31.* majorum tamen feudorum causis suæ Jurisdictioni reservatis, *tit. 5. Aur. Bull. Ord. Cam. p. 2. tit. 7.* Ob auch Sachen / *Amplis. & Consultiss. Dn. D. Arumæus, Præcept. meus observ. discurs. Academ. 2 Gothofred. d. disp. feud. 14. th. 1. lit. b. Boxtorff. ad A. B. th. 62. lit. d.* Idq; ob hanc causam, ne dum

dum litigantes indiscriminatim Imperatorem ejusque curiam magnis sumptibus & expensis sequi tenerentur, semetipsos exhaurirent: Imperatorque se hujusmodi controversiis decidendis implicitus publicis imperii curis minus incumbere posse; è re subditorum, totius imperii fore existimatum est, Imperiale prætorium instituere, in quo vice Cæsareæ Majestatis & statuum, de causis litigantium cognosceretur. A cujus sententiis nequidem ad Cæsarem, *Ord. Cam. p. 2. tit.* 35. multò minus ad pontificem permittitur appellatio. Unde cum olim quidam in causa pia à Camera ad pontificem appellasset, ut contemptor jurisdictionis Imperialis, in pœnam cum refusione expẽsarum fuit condemnatus, *Thom. Mich. de Jurisd. th.* 34.

XLIV.

De causis sive negotiis Ecclesiasticis regulariter cognitio est pontificis, Episcoporum, & aliorum prælatorum, *c.* 3. 13. *de Judic.* sed mutato rerum statu, illa quam pontificij in Augustanam confessionem, ejusque ritus, leges & ceremonias olim sibi sumebant prohibita est, & solum penes principes, & status imperij dictæ confessioni addictos residet, Reichs Abschied *Anno* 1555. §. damit auch ob beruhrete / & ibid. so soll die geistliche / *Mag. Dn. Præses in prælect. publ. ad c.* 4. *&* 5. *quæst.* 1. *de Foro competent.* — Ratione Causar.

Quin etiam nulla illis Ecclesiasticis amplius potestas est absolvendi à juramentis ad effectum agendi, utpote translata de hisce ad Cameram Imperial judicandi facultate, *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 24. *Gail.* 1. *obs.* 25. Einem seine gegebene Urpfed gegen dem HErrn / der jhm also verurpfedet hat zu relaxiren, damit er sich gegen selbigen Rechtens gebrauchen möge / *Vult. de feud. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 7. *Carpson. in disp. de regal. th.* 34. Ita tamen ut prius ad eum principem vel magistratum alium, qui hoc de non offendendo juramentum à captivo exegit, scribatur, eiq; desiderium jurati exponatur, quia Camera Imperialis non fidem habet narratis supplicantis, *d. t.* 24. *Ord. Cam. Gail.* 1. *Obs.* 22. *n.* 4. qui etiam, 1. *Obs.* 23. *n.* 5. proponit formulam pronunciandi, quam brevitatis gratia omitto.

XLV.

Feudales causæ coram domino feudi, vel paribus Curiæ agitari

agitari debét. Coram domino feudi, si controversia inter ipsos Vasallos fuerit, coram paribus Curiæ, si controversia fuerit inter ipsum dominum & Vasallum, *c. un.* [illegible] *2. feud. 55. Gothofr. disp. feud. 14.* Adq; hoc adeo, ut etiam Imp. eo ipso, quod feudum concedit inferioribus, se subjiciat parium curiæ jurisdictioni, *c. 1. §. sententiæ, vers. si qua controversia & c. de Pac. Constant. Gothofred. de disp. feud. 14. th. 2. lit. a. Fult. c. 2. n. 23. Mynsing.* [illegible] *obs. 89. Buxtorff. ad Aur. Bull. th. 83 lit. d.*

XLVI.

Causarum fiscalium judex est Camera Imperial. de quibus loquuntur constitutiones Imperij, uti *tit. 20. p. 2. Ord. Cam.* Reichs Abschied/ *Anno* 1512. 1566. 1570. §. Auß sonderlichen ansehenlichen ꝛc. *p. (mihi)* 616. 1557. *tit.* Von wucherlichen Contracten, §. und dieweil *in fin.* Secus est de jure communi, quod coram procuratore Cæsaris has ventilandas præcipit, *l. 1. & 2. C. ubi Caus. fisc. vel. div. dom.*

Præstantisſimo & Doctisſimo Dn. JOHANNI CAPPELLÆ Lubeccensi in Jurisprudentia feliciciter versato themata sua de Foro competente publicè propugnaturo.

HIs thesibus monstras solertis acumine mentis
Jura fori, Themidis cultor & [illegible].
Hinc constat qui sit Judex adeundus, & inde
Te benè versatum juris in arte patet.
Ergò Salanis quæ consecrata Ca[illegible]
Sunt, lætus scandis pulpita [illegible].
Exa[illegible] tibi magna Astrea [illegible]
Præmia reddet & hæc dulce [illegible].

Amicà mente & manu scribebat
Ortolphus Fomann D. & Collegij Juridici [illegible]